

21. *Finis* Sacramenti est, 1. oblatio & exhibitio promissionis gratiæ, 2. ejusdem obsignatio & confirmatio.

22. Sunt enim Sacramenta sigilla divinarum promissionum.

23. *Veteris Testamenti Sacramenta* sunt instituta ante Christum in carne exhibitum, quam adumbrabant; ut circumcisio & Pascha, Coloss. II. Heb. X.

24. *Novi Testamenti* sunt instituta à Christo nobis jam exhibitum, quem nobis præsentem offerunt & exhibent: ut Baptismus, & SS. Cœna; de quibus postea disputabimus.

25. Absurdi sunt, qui dicunt, fidem Sacramentum accipientis, esse formam Sacramentorum. *

DISPUTATIO XXI.

De Baptismo.

1. Baptismus est mersio (sive adpersio) hominis in aquam, in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti: Ut regeneretur & renovetur per Spiritum Sanctum.

2. Sive Baptismus fiat per immersionem, sive per aspersionem perinde est, Matth. III. 5. 6. Exod. XXX. 18. 19. Ebr. IX. 10. Act. II. 41. *

3. *Res terrena* baptismi est naturalis aqua, quæ non debet permutari alio quocunque liquore.

4. *Res caelestis* est Spiritus S. Joh. III. 5. vel S. S. Trinitas Matth. XXVIII. 19.

5. *Subiectum* est homo baptizandus: nimirum omnis infans Christianorum Parentum (sive ex ipsis natus, sive in plena & sola potestate eorum constitutus) & omnis adultus, amplexus & professus Christianam religionem.

6. *Effectus* baptismi est regeneratio & renovatio.

7. Quare baptismus est ad salutem necessarius: propter ordinationem divinam, ad quam homines sunt alligati.

8. Sacramentarii errant, affirmando, fidelium infantes, sive antequam nascantur, vel per & propter nativitatem ex Christianis Parentibus, esse non Filios iræ, sed DEI Filios, non extra, sed in regno cœlorum. Quibus opponi debet, Psalm. LI. 7. Joh. III. 5. 6. Eph. II. 3.

K 3

9. Nam